

Zc

6247



XI, 85.



Epicedia academica Vitebergensia
1572 - 1661.



Faint, illegible handwriting at the top of the page, possibly a title or date.

Faint handwritten marks or numbers on the right side of the page.



8
3
EPICEDION ET
EPITAPHIA,

SCRIPTA AD
COHONESTANDAS
EXEQVIAS FVNE-
RIS, QVOD VVITEBER-
gensis schola fecit,

IOHANNI SCHVRSTABIO
ab Oberndorff, Noribergensi.



VVITEBERGÆ,

Anno M. D. LX XVIII.

82

8

[Faint, mirrored bleed-through text from the reverse side of the page, including words like "SCRIPTA AD", "CORONAMENTA", and "JOHANNES VI"]

11



RECTOR ACADEMIAE
VVITEBERGENSIS IOACHIMVS ABEVST
I. V. DOCTOR, ET PROFESSOR COM-
munitati Scholasticæ S. D.



ix vlla in re videas omnibus seculis ab
ijs, qui cogitandi pronunciandiq; ratio-
nem & vim (veteres Græci sapientiam
nominabant) sibi arrogarent, perinde
sudatum esse, atq; in earum caussarum
peruestigatione, ob quas tot & tantæ calamitates, &
quod earum, vt aliarum rerum omnium, extremum
est, fatum mortis in hominum genus redundant.
Sed est ante oculos positum vniuscuiusq;, ipsorum
pellegentis monumenra, quàm parum, aut omni-
no etiam nihil profecerint, vt in ea cogitatione cu-
raq; versarentur maximè, nimium lubrica ac præci-
piti illa, in qua cuiquã τὸ πρῶτον, siue eorum qui in po-
pulo & Ecclesia CHRISTI non censentur, neq; insi-
stere neq; ingredi sine casu aliquo aut prolapsione li-
ceat. Est enim profecto hic mucro, in quem in-
currat necesse est, mens sua cuiusq;, permissa sibi, ac
luce coelestis doctrinæ destituta. Quamuis autem
aliquò videatur sibi humana sapientia in hac indagi-

ne progredi posse: à portu tamen miseriarum, quem se tenere putat, quàm procul adhuc absit, tum demum, sed serò nimis, intelligit, quando cum malis metipso conflictandum est, quæ nec placare potest, neq; mederi caussis eorum, nedum depressa miseriarum fluctibus emergere atq; eluctari. At nobis, qui veræ Ecclesiæ CHRISTI ciues sumus, & studiorum pietatis in DEVM, & sapientiæ, quæ bonis literis explicatur, nos esse cultores profiteamur, sacrarum scripturarum veritas vtrunq; monstrat, simul ruinam nostri generis, quam mors excepit *πῆρ ἁμαρτίας ὀψώνιον*, minimè solitaria illa, sed omnis generis comitata miserijs, simul salutarem eius medicinam, quam adhibet *δικτίμων καὶ ἐλεήμων καὶ ἔυσπλαγχνος* Samaritanus, Dominus noster IESVS CHRISTVS, *κύριος καὶ σωτὴρ γενεῆς ἐνθρώπων*, pœnam transgressioni diuinitus irrogatam in sese deriuans, & peccata nostra sua morte ac supplicio expians, adeoq; auiti domicilij, vnde nobis origo est, & de quo diaboli astu deiecti sumus, ius pristinum recuperans, vt iam in eo postliminium habere, & fide in Christum cœli municipibus nobis esse liceat. Scilicet inde nobis medicina depromenda est, quæ possit esse saltem mitigandis, si non adimendis fatalibus æui iam fermè præcipitantis miserijs, tum verò etiam dolori nostro pnblico, quem dissi-

dissimulare ad communitatem nostram scholasticam nec possumus, neq; etiam debemus, conceptum ex præmaturo obitu IOHANNIS SCHVRSTABII ab Oberndorff Noribergensis, cum ob studia humanitatis & litterarum, tum ob huic consentaneam vitæ honestatem bonis omnibus probatissimi. Videbatur sanè nobis ipse curriculo vitæ, quàm natura præscripsisset, longiore dignus, Et erat ornamento nostro ordini, exemplo suis æqualibus, rebusq; communibus, si vixisset, magno futurus vsui. Comendatur genus SCHVRSTABIORVM, vnde Iohannes ortum ducit suum, celebritate antiqua, quam licet ipse sciret longè productam demonstrari posse, eminentiam tamen illam relinquere alijs, proximoq; splendore, quem sua cuiq; virtus & industria pariunt, esse contentus maluit, sibiq; in ijs artibus laborandum esse duxit, quibus ex laudes comparari solent, quarum ipse gloriam adamaret. Qua indole & animo cum IOHANNES esset ab ipsa statim pueritia, etiam patris cognominis virtute, stimulo & calcari nequaquam obtuso, subinde admonitus est: quem compertum haberet ad generis splendorem adiunctis optimarum litterarum ornamentis adeò excelluisse, vt & consilijs Republicã iuuare suis posset, & ob virtutem rerumq; prudentiam coleretur,


A 3 & pro-

& propter humanitatem diligeretur ab omnibus.
Ac meminimus ipsi, anno ab hinc duodetrigesimo
summum honorem & insignia Doctoris in Iuris-
prudencia patrem Iohannis in Academia adipisci, &
cum dignitate sua, vtilitateq; multorum gerere ad ex-
tremum vsq; spiritum. Qui filio Iohanne vsi sunt
familiariter, ijs liquere potest, præcipuam ipsi curam
fuisse, quemadmodum sese magis in virtutum, quàm
facultatum patris successionem pararet, quippe qui
non solum bonorum illius hæres fieri cuperet, sed
antiquissimis maiorum imaginibus aliquid de talen-
to suo adiungere, splendoremq; familiæ suæ patriciæ il-
lustrare omnibus viribus contenderet. Ecquid enim
filius aliud est, quàm pater in altero repubescens? Ideò
patricios senatorum filios dictos voluit Velleius,
quod patres ciere, & ab ipsis hæreditate accepta fa-
miliæ virtutumq; decora posteris tradere possent. In
hoc igitur stadium virtutis & industriæ cum Iohan-
nes pleno gradu ingressus esset, iamq; eniteretur,
quammaximè posset, vt concitatam de se expecta-
tionem vinceret, quam ad rem ipsi modò præclara
fundamenta iacta erant, medio è cursu, in flexu æta-
tis adolescentis, euocatur diuinitus, ac heri sub quar-
tam postmeridianam, inter vota ad DEVM seria, su-
preum vitæ diem obiit, viribus gracilis corpusculi
ita

ita ex menstrua διαρροία fractis & accisis, vt ope medi-
corum nihil profici potuerit. Quantum autem matri
BARBARAE, oriundæ è Pfintzingorum familia, sui
filius relicturus sit desiderium, quàm acerbum ei
vulnus hæc orbitas inflictura, vnicuiq; facilè existi-
mare licuerit. Quis enim luctus potest esse maior, atq;
is est, quem obitus parit filiorum, in quibus non mo-
dò ætate ingrauescente conquiescere, sed & viuere
post persolutum naturæ debitum parentes possint?
σύλοι γὰρ οἰκωρ εἰσι παῖδες ἄρ σενες. Sed speramus matrem, li-
cet spoliatam ornamento domestico, dolori suo mo-
deraturā esse, siquidem cogitauerit filiū decurso vitæ
stadio, accepisse præmij loco coronam ἀφθαστον, iamq;
ijs perfrui bonis, ad quæ, dum ageret etiamnum inhu-
manis serio aspirauit. Etsi autem à luctus acerbitate
nos quidem abesse videmur longius: nostri tamen
esse muneris nostrarumq; partium sciamus, vt ea
præstemus, quæ absentibus matri & propinquis spe-
remus in tanto mœrore solatio fore, & ad funeris ce-
remonias, quæ reliquæ sunt, ac defuncto hora IIII
fient, frequentes conueniamus: Vbi vota facere iubet
pietas vnumquenq; pro sua ipsius & publica omniã
salute, itaq; instituere actiones vitæ suæ vniuersos &
singulos, vt constet, oblitos τῶν ἐπιγείων, meditari τὰ ἄνω,
& studiosè quærere.

P. P. XVI Decemb: Anno LXXVIII.

P A R Æ N E S I S
I O H A N N I S S C H V R.
S T A B I I, L L. S T V D I O S I,
A D M A T R E M S V P E R.
S T I T E M.

 *Ic requiem cepi, sed vis nimis inuida lethi,
Spe citius, vitam ponere iussit humo.
Parce tamen genitrix lacrymis, tibi in
æthere reddar,
Et tecum aterna tempora lucis agam.
Præcessi, sequere, Et veterem testantia amorem
Oscula dilectis accipe, redde, genis.*

*M. Balhasar Mencius, Nouio-
magus Saxo.*

*supra præterea ergo in mæstissima matris
solatium fecit.*

~~Elegia~~

~~Epicedion~~

Zc 6247

ULB Halle

3


004 953 630





TA/OL

H.C.







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



EDION ET
TAPHIA,

PTA AD
ESTANDAS

VIAS FVNE-
OD VVITEBER-
is schola fecit,

I SCHVNSTABIO
dorff, Noribergensi.



EBERGA,

M. D. LX XVIII.



82

3